

• hujusmodi sub eorumdem verborum formula in consistorio nostro
 • se facturos obtulerunt, litterasque eorumdem potentatum Italiae
 • et ducis ferrariensis confederatorum attulerunt. Qui ad nos sa-
 • crumque collegium venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. card.
 • omnes hujusmodi controversias retulerunt, pollicentes quidquid a
 • nobis decisum super his fuisse, ducem ipsum Ferrariae expletu-
 • rum. Veneti vero saepius a nobis rogati, ut idem facerent, quod
 • sane omni ratione facere debuissent, facere noluerunt, affirmantes
 • se in rebus ferrariensibus nullum recognoscere superiorem, quod
 • tametsi contra honestatem, contra jura et sanctorum patrum de-
 • creta in nostrum contemptum ac nostrae auctoritatis et jurisdi-
 • ctionis diminutionem plane esset: quia tamen ipsi veneti inde
 • nullum bellum, sed concordiam sequi debere nobis persuade-
 • bant, toleravimus, atque eos quanto potuimus hortari non ces-
 • savimus ad benevolentiam reintegrandam cum duce ipso ferra-
 • riensi ad quam ipse dux se offerebat. Et ut nihil omitteremus
 • quod eorumdem honori et quieti Italiae expediret, noluimus ad
 • censuras et executionem litterarum praedictarum progredi, quo-
 • niam concordiae et belli minime faciendi veneti praefati nobis
 • spem certam dabant, in qua cum essemus et eosdem venetos ad
 • mittendum nobis jura sua in praemissis hortaremur, contra eum-
 • dem ducem Ferrariae, contra justitiam, contra nos quos bellum
 • abhorre sciebant, contra romanam ecclesiam, cuius juris civi-
 • tas ferrariensis existit, nobis penitus insciis aperto marte impia
 • arma moverunt. Dilectus vero filius nobilis vir Alphonsus dux
 • Calabriae, dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Elionorae du-
 • cissae ferrariensis frater, pro liberatione cognati, sororis et filio-
 • rum eorumdem ab ipsorum venetorum oppressione ad territo-
 • rium ferrariense cum suis gentibus et armigeris se transferre
 • volens, a nobis transitum petiit per terras praefatae Ecclesiae.
 • Poteramus ei ad propulsandum injuriam per eosdem venetos
 • eidem duci ferrariensi illatam proficiscenti jure optimo per ur-
 • bes agrosque nostros transitum dare. Non fecimus tamen, immo-